

C

C-31-113.(8)

Granada

i22108373

R. 1866

ORATIO INAUGURALIS.
QUAM IN SOLLEMNIS STUDIORUM APERTURA
REGALIS AC CENTRALIS SEMINARI GRAVATENSIS
DIVO CECILIO DICATA.
PRO NOVO CURSO.

ORATIO INAUGURALIS.

Dicitur
Dr. D. Josephus MARCHETUS,
RECOG. PARVUS HISTORICOLOGI MAGISTER UNIVERSITATIS
ET IN EODA CHAPLAIN SACRA SCRIPTURA PROFESSOR.

1867.

SUMPTIBUS SEMINARI.

Quam appretiatio nuptiis et obituarii quodam Esmi, ac illi.

Primum.

GRAVATE. — TYPE. LAMM.

СИЛАЮЩАЯ
СИЛА ОГЛАСОВАНИЯ

R 22766

ORATIO INAUGURALIS,
QUAM IN SOLEMNI STUDIORUM APERTURA
REGALIS AC CENTRALIS SEMINARII GRANATENSIS

DIVO CŒCILIO DICATI,

PRO NOVO CURSU,

PRÆSENTIQUE DIGNISSIMO HUJUS ARCHIDIOCESEOS PRÆSULE

Dre. D. Benvenuto Monzon et Martin,

HABUIT

Dr. D. Josephus Martin et Gutierrez,

HUJUS SANCTÆ METROPOLITANÆ ECCLESÆ CANONICUS MAGISTRALIS

ET IN EODEM SEMINARIO SACRÆ SCRIPTURÆ PROFESSOR.

1867.


SUMPTIBUS SEMINARII.

Cum approbatione atque ex mandato ejusdem Exmi. ac Ilmi.

Præsulis.

terram; ut in omnem terram verbum Christi, evangeliū regnū resonare faciat vosmetipsoꝫ astinere debatis, propter vocationem vestram. — 

GRANATÆ. — TYPIS ZAMORA.



22435
ORATIO INAUGURALIS
QUA IN SOLLEMI SEMINARIY
REGALIS VC CENTRALIS SEMINARIU SEMINARIUS
DIAO CECRITO DICATI
PRO NOVO CURSO

PRESENTATIONE DILESSISSIMO HOCIS ARCHEPISCOPAE ET ESSERE

DICAT. D. BENEDICTO MONS. DE MELLO

HABENT

D. JOSEPHUS MELLINI ET GARNOTUS

MIGAS — SANCTA METROPOLITANA CONSISTAR CIVITATIS MAGISTRALIS
ET IN BODEN SEMINARIO SVORUM SCIENTIAS PROFESSOR

1862.

SUMPTIBVS SEMINARI

CON APPROBATIONE QVIRIS EX MUNIBVS SEMINARII ET TERR

BRUNN.

1862.

GARNOTUS — TIPS ZAMORA

207. *Hoc annuo boni uideat aliis novi annos adiuuando
naturae querit. Hoc annuo sibi suorum mali obviando
bono dñe in hunc intermissione laetitudinem excedit.
Et si quis ei uero dñe pietate uult. Natura optime iustificata
affectione te ei uero dñe hunc intermissionem excedit
et exultat. Et annuo hunc amorem hunc amorem hunc
tempore hunc. *Exinde hoc anno inquit hunc. Tunc nunc
memoriam tuam.**

EXME. ET ILME. DOMINE.

Magnum animæ tuæ solatium hoc spectaculum affert. Magnum reverà solatium omnibus nobis, magnum solatium universæ Ecclesiæ, videre electas oves Pastorem suum ovanter circumdare ! ¡ O juvenes ! ¡ Scitis quantam Ecclesiæ inter hodiernas calamitates præstatis lætitiam ? ¡ Scitisne spem bonorum malorumque timorem Vos esse ? Gaude et lætare, immaculata Christi Sponsa, gaude et lætare super hosce filios tuos..... *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos principes super omnem terram (1).* Principes futuri estis, oh juvenes levitici, et principes super omnem terram ; ut in omnem terram verba vestra, verbum Christi, evangelium regni resonare faciatis. Quanti ergo vosmetipsos æstimare debetis propter sanctam vocationem vestram ! Grande facinus, tempus educationis vestræ parvipendere ! cum nec vires vestræ, nec facultates vestræ, nec tempus vestrum, revera vestra sint,

(1) *Ps. 44. v. 17.* *qua simulatione diligunt ! Revera vest-*

sed Ecclesiæ.... Non estis vestri, sed Christi, qui vos ad Sacerdotium vocare dignatus est.

Societas hominum, si consuleretur *quid nisi* bonos sacerdotes expeteret? Illud namque cunctis populis summoperè desiderandum, quod pacis et honestatis, quod ordinis et justitiae, quod virtutis et felicitatis semina jicit: quod legum vim corroborat: quod præpositorum auctoritatem et subditorum mansuetudinem fovet: quod denique ipsiusmet societatis fundamenta confirmat. *Sed quid haec omnia præstat ut sacerdotium?* Historias perlegite. Sacerdotium in hoc mundo magnum misterium repræsentat, excellentissimam missionem importat. En ratio cur tam in veteri quām in novo Fœdere sacerdotum figuræ supramodus resplendent. *Quot bona à bonis, quot mala a pravis sacerdotibus quovis loco, quovis tempore evenisse videntur?* *Quid igitur exinde inferre debemus?* Procul dubio, juvenum qui ad sacerdotium properant educationem, maximi momenti Præsulibus occupationem esse cuius præstantiam nullus est qui enarrare sufficiat.

Igitur nos, in præsenti litteraria solemnitate, Exme. ac Ilme. Domine, præclarissime Doctorum cœtus, ex totis præcordiis gaudere, et ut Deo grates debitas rependamus pro hac quæ nos circumstat studiosa juvenum congregatione, vocem extollere debemus. Sed ut quid mihi omnium minimo loquendi onus commissisti? *Væ mihi!* *Quid tantæ solemnitatis, tam excellentis aulæ, tam numerosi laureatique concursus dignum dicam...?* Sed, cum de vestra indulgentia minimè possim dubitare, eadēm fretus commissum munus assumo.

¶ Quid vultis, dilectissimi juvenes? ¶ Quid in hoc Seminario quæritis? Seminarium nihil nisi semina continet. Quæritis ergo semina, ut illa profectò vestris cordibus seminetis. Reeté equidem. ¶ Cujus autem fructus sunt hujusmodi semina? Duplicis, scientiae scilicet et virtutis. Hoe igitur attendite, charissimi: scientiam et virtutem nunc vos ab Ecclesia postulatis, quia scientiam et virtutem deinceps a vobis populi postulabunt: non scientiam absque virtute, non virtutem absque scientia: utraque in sacerdote exigitur, nam ut noster olim Isidorus ajebat: doctrina sine vita arrogantem reddit: vita sine doctrina inutilem facit. Ad hoc autem ut scientia sit in virtute, virtusque in scientia, procul dubio requiritur et sufficit, ut utraque sit in veritate fundata; unde nihil aptius pro hac die pertractandum inveni, quam illud, quod omnia continet et in omnibus continetur, veritas. De veritatis igitur persecutione et prosecutio in scientiis quibus nos operam damus, præsertim vero in Philosophia, sermo erit.

Super omnia et in omnibus veritas. Hoc lemma præest universo mundo. Cunctas, licet barbaras, gentes perlustrate: cunctos, eujuscumque religionis, populos invisi: cunctos, si licet, homines interrogate. ¶ Quid omnes quærunt? Veritatem. ¶ Quid omnes diligunt? Veritatem. ¶ Quid omnes a ceteris exigunt? Veritatem. Et tamen quam multi sunt veritatis osores! Quam multi veritatem non prosequentes sed persequentes quærunt! Quam multi veritatem non vera dilectione sed iniqua simulatione diligunt! Revera veri-

tatem fugiunt, quia veritas lux est : ipsi autem lucem oderunt, et ad lucem non veniunt ut non arguantur eorum opera: unde veritatem persequuntur.

; Juvenes dilectissimi, quid videtur vobis ! Animadvertisse. Lux mundi, medicina humani generis, firmamentum societatis, basis culturæ, totius denique progressus bonique totius origo et fons, veritas est. Si ergo nos omnes, ut potè ad sacerdotium electi, bona quæque ad animæ salutem pertinentia populis præstare debemus, evidens est munus nostrum non nisi in veritate prosequenda situm esse. Nihil igitur nobis veritate charius : veritatis dilectio nostrum cor penetrat. Sapientiam quæramus, illamque non solum enixa viribus diu noctuque prosequamur, verùm etiam a Deo veri luminis fonte humiliter efflagitemus, qui dat omnibus affluenter ; ut de illius assecutione gaudemus cum illo quondam sapientissimo Rege clamantes : *super salutem et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius.* Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa (1). Occupatio temporis nostri, simul atque deliciæ cordis nostri studium veritatis sit ; non ut in hoc tantum immoremur studio, sed ut proximos docendo juvemus, errorumque tenebras dissipari facamus. Unde vita nostra in hoc Sapientis versiculo sit contenta : *Veritatem meditabitur guttus meus, et labia mea detestabuntur impium* (2).

Omnis scientia de veritate est, sed in primis Philosophia scientia est summarum veritatum. Nihil igitur

(1) *Sap. 7. v. 10 et 11.*

(2) *Prov. 8. v. 7.*

mirum si in ea maximas veritates maximosque errores inveniamus. Quidquid in ceteris facultatibus perpetratur, hoc procul dubio in Philosophia quodammodo inventur; unde cuncti humanæ intelligentiæ progressus atque etiam regressus ad Philosophiam facilè reducuntur. ¶ Oh si hujusmodi scientiarum principem exprofesso hic possemus contemplari, omnes ejus historiæ epochas perlustrando...! profecto de veritatis persecutione atque prosecutione permulta disceremus. Hoc tamen non prætermittam, duo scilicet extrema comparare, circa quæ passim erratur, dum quod veritatis prosecutio est, ut ejusdem obscuratio habetur; et e contra, quod non est nisi veritatis persecutio, uti ejusdem defensio usupatur. In medio ævo Philosophia quamdam in suo genere perfectionem attigit. In sœculo nostro Philosophia quamdam etiam in suo genere attigit perfectionem, sed via penitus contraria. Unde hæc sunt notabiliora Philosophiæ extrema, Scholasticismus et Pantheismus. Perfectio Scholasticismi in eo est, quod totam scientiam ad puras formulas reduxerit: quæ formulæ veram scientiæ perfectionem important, sunt etenim rationis leges, veritatis fontes, quæstionum claves: non aliter ac algebraicæ formulæ perfectio sunt scientiæ mathematicæ. E contra, Pantheismi perfectio (perfectionem falsi nominis intelligite) in eo est, quod erroris metam attigisse videatur, cum nihil aliud hoc sistema sit quam absurdī absolutissimi clarissima impudentissimaque proclamatio. Hoc autem in suo genere quasi perfectio debet reputari; absurdum enim in erroris via quidam terminus est, ultra quod progredi non licet.

Nunc quæstio facilè occurret. Si ita est, ut dicitur, de neoterica Philosophiæ forma, si hoc hodiernum sistema nihil aliud est quām terminus quidam erroris, apertumque absurdum ē quo pacto vel præclaras mentes fascinare potuit? ē Numquid non illud colunt, propugnant, miranturque permulti non infimæ notæ viri? ē Attamen quid mirum? Sapientes hi procul dubio homines sunt, humanæ imbecillitati obnoxii: licet ex vi sui sistematis Dii sint credendi. Risum teneatis. Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt, ut de aliis similibus scribebat D. Paulus (1). In semetipsis confidentes, traditionis sustentaculum abjiciunt, fidei lumine parvipendunt: ideo, tamquam inter maris procellas deperditi nautæ, in profundum corruunt. Veritates ab antiquis temporibus constanter creditas despiciunt: scientiæ ædificium à majoribus elevatum non augere, non corrigere, non fovere volunt, sed incredibili audacia penitus evertunt: nullam veritatem credunt, nisi ab ipsis inventam: nullum librum ad discedum legunt, nisi ab ipsis conscriptum. A ceteris nihil accipiunt: docere possunt, discere nullatenus. ē Quid est hoc, Exme. Domine, quid est hoc, nisi persecutio veritatis?

ē Oh juvenes! in veritatis prosecutione superbiam mentis toto zelo, totisque viribus fugiamus, ne in hoc tetricimo erroris barathro labi consequens sit. Non solum verò superbìa nobis est summoperè vitanda, sed et superbi, eorumque libri, exempla, sistemata, viæ: cor enim nostrum ad superbiae incitamenta est valdè

(1) Ep. ad Rom. 1. v. 22.

proclive. ¡Quam multis absolutæ independentiæ supremique magisterii deliramenta fucum faciunt! Irrationale est abs dubio, sed apparenter magnificum hujus Pantheismi sistema, juxta quod homo est veritatis magister non discipulus, inventor non acceptor, creator non mirator. ¡Oh magnificentia verè miseranda! Quid est hoc nisi persecutio veritatis?

Et notandum maximè Pantheismum non errorem specialem esse, sed et methodum philosophicam, ideoque errorum fontem, absurdorumque constantem originem. ¡En cur e Pantheismo tot tamque diversæ pseudo-philosophicæ scholæ prodierunt: maxima scilicet persecutio veritatis!

Interea, Exme. Domine, quid nobis faciendum sit videamus, si ut par est, huic terribili persecutioni veritatis resistere velimus: et non tantum persecutioni obsistere, sed et in prosecutione laborare. Revera hæc opus, hæc labor est.

Inter præcipuas Catholicismi glorias hæc in præsentiарum numeranda venit, veræ philosophiæ restauratio. Veritas persecuta Ecclesiam adiit, et in ea certissimum ac inviolabile refugium invenit. Post hæc, quid mirum si veritatis amatores, illam desiderantes, illam quærentes templum ingressi sint, ut ipsam penè colapsam, penè deperditam in templo invenirent? ¡Salve Christi Ecclesia, Salve Ecclesia catholica romana, Salve columna et firmamentum veritatis, quæ non semel et scientias et artes in sinu tuo ab humanæ societatis tempestatibus vera mater servasti! ¡Salvete etiam vos,

insignes litterariæ Reipublicæ benefactores, Salvete, præclarissimi philosophiæ restauratores, quos mater Ecclesia peperit nostro sœculo! Sœcula, dum labantur, laborem vestrum magis magisque cognoscent, mirabuntur et laudabunt. Loquor (vos non latet) de novissima philosophiæ schola, vere catholica, quæ nostris diebus veritatem propugnat, scientias purgat erroribus, atque traditionales veritatis thesauros in pervetustis voluminibus absconditos in lucem edit. Sat cognita, sed non satis laudata sunt nomina clarissimorum Liberatore, Taparelli, Sanseverini, Prisco, Clemens aliorumque concollegarum, et in hac solemni occasione illorum oblivisci, injustum esset. Hos ergo, charissimi juvenes, hos imperturbabili constantique animo sequamur: hæc legitima via est ad veritatem prosequendam.

¿Quò verò pergitus? ¿Quò talibus tantisque ducibus in veritatis prosecutione tendimus? ¿Ubinam veræ philosophiæ bases invenientur? Audiamus unum ex illis in magno quodam de *intellectuali cognitione* opere, mirabili modestia scopus suum aperientem: «Ut nullus, inquit Liberatore, ut nullus hujus libri lector aliud in eo quærat quām ego intendi, finem quem in conscribendo habui aperire ab initio decrevi. Ego igitur intendi doctrinam philosophicam S. Thomæ Aquinatis promearum mensura virium exponere et illustrare.» (1) En charissimi juvenes, salutis via, en Philosophiæ

(1) *Liberatore*, *Della conoscenza intellettuale, Ragione dell' Opera.*
•Achicché niuno, che prende a leggermi, abbia a cercare in queste pagine altra cosa da quella, ch' io divisai; penso di dovere spiegare sin da principio il fine, a cui ho mirato nel dettarle. Io ho inteso di esporre ed illustrare, secondo che le mie forze comportassero, le dottrine filosofiche di S. Tommaso d' Aquino.

restauratio. Viri clarissimi, ingenii acunine, laboriositate, humilitate, experientia ceterisque sive moralibus sive intellectualibus virtutibus valde commendati, mundo philosophico corrupto salutem porrigerere conantes, postquam omnia tam vetera quam recentiora sistemata attentè inspexerint, postquam intellectualem præsentis sœculi statum meditati fuerint, causasque hujus deplorabilis status diligentem examini subjecerint, nec novum creare sistema, nec vetus aut recens quodvis suscitare vel fovere aptum conveniensque ducunt, sed tantum D. Thomæ doctrinam exponere ac explanare. «Reditus, pergit idem cl. auctor, ad philosophicas D. Thomæ doctrinas absque dubio hodie est suffragium universale: non quæritur amplius utrum talem doctrinam sequi conveniat, sed tantum qualis ipsius sit verus sensus genuinaque explicatio.» (1).

Ad pristinos igitur sapientiae magistros redeamus ad veritatem legitimè et fructuosè prosequendam. Neque hoc vobis mirum sit, quod redire ad præterita sœcula debeamus: quidquid e contra blaterent insaní illi, qui indefinitum humanæ intelligentiæ progressum propugnantes, independens absolutumque magisterium privato cujusque judicio tribuunt, nosque obscurantismi, ut ajunt, nota lacessere conantur. Non alia nobis ad veritatem prosequendam via, quam ut pristinos adeamus optimos magistros, quorum nomina tempora et tempora consecrarunt; et in eorum operibus nixi ædificium

(1) *Liberatore, opere et loco supra citatis. Il ritorno alle dottrine filosofiche di San Tommaso è oggimai un voto universale; e non si disputa più se convenga o no abbracciare tali dottrine, ma sibbene qual sia la genuina intelligenza delle medesime.*

humanæ sapientiæ reconstruere conemur, illudque novis inventionibus, quæ veræ sint et reales, augere magis magisque ornare. Hic est realis progressus in Philosophia: hæc est veritatis vera prosecutio.

Ratio in promptu est. Philosophica revolutio, defectio atque ruina non aliundè incœpit quām a violenta superbaque separatione recentiorum a majoribus, a destructione antiquæ scientiæ, legitimis criteriis innixæ, ad aliam novam procudendam, quæ, licet arbitraria, et ilusoria, licet legitimo criterio destituta, tantumque in privato cujusque judicio vel potius amentia fundata, nova tamen esset, independens et libera. Igitur si talis defectio fuit, qualem oportet esse restorationem? Egregium quemdam Doctorem germanicum audiamus hoc argumentum mirificè explanantem: «etenim philosophiam recentiorem, ex quo tempore majorum nostrorum principia manumittere, proprium sibi procedendi modum sequi, novasque vias tentare cœpit, paulatim a fide defecisse, veritati christianæ inimicam evasisse, neconon eò devenisse ut sanæ mentis hominibus aut odio et execrationi, aut contemptui et ludibrio sit; neminem potest effugere, qui videt ea, quæ præ oculis habet. Unde efficitur, ni falsa sint Salvatoris verba: «ex fructibus eorum cognoscetis eos,» arborem, quæ tam malos fructus edidit, natura esse malam, ideoque radicitus extrahendam et extirpandam. Philosophos igitur recentiores, quum a superioribus digressi sunt, a recta via aberrasse, hoc mihi videtur sole clarius esse. Quicumque autem a recta via deflexit, itineris sui terminum nunquam attinget, nisi prius usque eò pedem reverterit, ubi a recto tramite declinavit; atque hic

regressus veri progressus conditio est.» (1). Redeamus igitur, quotquot Philosophiae reparationem volumus, redeamus recta fide, ardentique animo ad majores nostros; præsertim vero ad illum ingeniorum Principem, Scholarum Angelum, Doctorum Solem, D. Thomam: hic regressus veri progressus conditio est. Veritatem quæramus non novitatem: nec nobis egoisticae Philosophiæ, indefiniti progressus, Pantheismi denique pseudo-doctores sophismatibus suis fucum faciant, nos retrogrados aut aliud quid simile appellantes.... Regressus hic, illis debemus cum germanico Doctore respondere, regressus hic veri progressus conditio est.

Si tempus superesset, si ferret occasio, vellem, Exme. ac Ilme. Domine, a laudata Philosophia ad Theologiam transire, ut in hac, quæ suprema est inter ceteras humanas disciplinas, quid pro veritatis defensione munus nostrum sit, videremus. Attamen sufficiat, in ejus quasi limine sistentes, magnum hoc ædificium contemplari. Fundamenta procul dubio mirabilia sunt, et aliquid plus quam humanum innuere videntur: nam sola ratio non est principium theologicarum conclusiōnum, sed fides simul et ratio cardines sunt universæ theologiæ. Super hanc duplē petram illa elevatur magnificè. Cui creditis palatum hoc grande parari? Cujus generis thesaurus in hoc sublimi asservabitur sacrario? Thesaurus tanto dignus sacrario, non aliud nisi veritas: sed veritas splendidior, veritas excellētiori luce colorata: veritas quæ de Deo est, et de ho-

(1) Clemens. *De Scholasticorum sententia: Philosophiam esse Theologiæ ancillam. Commentatio.*

mine, et de mundo, et de omnibus aliis objectis quæ sive cœlum sive terra continet: veritas denique circa hæc omnia objecta sed respectu Dei qui theologiæ sacræ primarium est objetum, id est, eminentiori modo quo in reliquis disciplinis atque etiam in Philosophia contemplantur. In hoc magnificentissimo veritatis templo SS. Patrum scripta emicant, insignium Doctrorum opera fulgent, quorum venerandam memoriam sœcula sœculis prædicabunt. Jam vero ȝereditis, dilectissimi juvenes, in hoc mirabili sacrario veritatem penitus esse tutam? Minimè. Hæresum revolvite luctuosam historiam. Quot et quām terribiles pugnæ! Quot et quām perfidæ insidiæ! Quot et quām ignita tela adversus veritatem theologicam! Hæretici innumeri quovis sœculo, Protestantes qui ipsi soli ceteris omnibus æquivalent, increduli, Rationalistæ, Naturalistarum varii circuli, pseudo-philosophi et denique alii quidam non pauci abutentes tám monumentis historicis quām calculis mathematicis, atque etiam astronomicis observationibus, necnon hypothesibus phisicis et geologicis.... en inimici theologicæ veritatis! Non prævaluerunt sœculis elapsis, nec prævalebunt in futuris; adest enim magisterium vivum, infalibile atque ineluctabile catholicae Ecclesiæ; bellum autem numquam cessabit. Pugnemus igitur, pugnemus pro divina veritate tam acriter persecuta. Attamen pugnemus armati: in primis Christi Ecclesiam, ejusque constitutionem, notas, proprietates, dotes noscere curemus: atque ipsiusmet supremum visibile Caput maximo studio veneremur. ȝNumquid, charissimi juvenes, tempestatem frementem non auditis, petram hanc solidissimam

spumantibus undis cooperire conantem? ; Nescitis cuncta inimicorum tela hodiernis temporibus adversus Pontificem venerandum dirigi? Ergo ad illius Sacratæ Sedis jura omnia propugnanda paratos nos semper inveniri oportet. Induamur etiam ad præliandum prælia Domini fortitudine desumpta ex SS. Patrum validissimis doctrinis, quorum opera jugiter præ manibus habeamus. Scholasticos Theologos, illos præsertim qui non tantum doctrina sed etiam virtute et zelo Divinæ gloriæ floruerunt, veneratione diligentique studio colamus: ipsi enim optimè de Catholica Ecclesia, de Romana Sede atque etiam de litterarum amatoribus meruerunt, ipsisque mirabiles in Divinis litteris progressus jure debemus. Hæc arma sunt potentissima tām ad proficendum in via veritatis, quām ad veritatis hostes debellandos. Illis ergo utamur viriliter, diligenter, constanter, sive in propriè dicta Theologia, sive in Sacrorum Bibliorum exegesi, sive in ecclesiastica jurisprudentia et denique in omnibus ecclesiasticis scientiis atque facultatibus.

Tempus est loquendi, docendi, pugnandi; nam veritatis hostes acriùs dimicant, inferorumque potestates formidabiliùs insidiantur. ; Quid nos, charissimi juvenes, quid nos faciemus? ; Abscondemus talenta? Otio torpentes habebimus facultates quas ad laborandum pro sua gloria Deus nobis donavit? ; Quod nobis imminet judicium! Ut ergo rectè laborare in Dei servitio, in Santæ Romanæ Ecclesiæ defensione et in animalium procuranda salute valeamus, aggrediamur eni-

xis viribus scientiae studium: veritatem recta via prosequamur; atque (sic liceat loqui) in diligentia et constantia hostes nostros imitemur. Ipsi ad perditionem invigilant: *qdormiemus nos, qui nostram proximorumque salutem curare tenemur?* Illi in persecutione veritatis non lassantur: *qerimus nos in ipsius prosecutio-* ne pigri? Eja ergo laboremus, inquiramus, indesinenter studeamus: ne nos illa Salvatoris comprehendant sententia «filii hujus saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.» (1). Attamen, charissimi, cum arma studiorum arripuerimus, minimè illius apostolicæ monitionis obliviscamur: «scientia inflat, charitas vero ædificat.» (2). Timorem Domini sapientiae initium (3) esse semper præ oculis habeamus. *Non efficiamur inanis gloriae cupidi, invicem provocantes, in-* vicem invidentes (4). *Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia* (5). Ergo, juvenes, per timorem Domini sapientiam quaeramus, ut pro Dei gloria in veritatis prosecutione fructuosè laborare possimus, et gaudenter aliquando cantare: *Confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum* (6).

(1) *Luc. 16. v. 8.*

(2) *Ep. 4. ad Cor. 3. v. 4.*

(3) *Ps. 110. v. 40.*

(4) *Ep. ad Gal. 5. v. 26.*

(5) *Ep. ad Gal 6. v. 16.*

(6) *Ps. 116. v. 2.*

BIBLIOTECA

UNIVERSITARIA

GRANADA

